Q. D. B. V.

DE SENECA MEDICO

ID EST

DE QVIBVSDAM VTRIVSQVE SENECAE SENTENTIIS MEDICIS

DISPVTATIO SECVNDA

QVAM

PRAESIDE

IO. IACOBO KIRSTENIO

MED. DOCT. PHYSIOL. ET CHEM. PROF. PVBL. ORD. MED. H. T. DECANO

IN CYCLO ACADEMICO

PLACIDAE PHILIATRORVM DISQVISITIONI

EXPONIT

GVSTAVVS GEORGIVS ZELTNER


ALTORFINVS

A. D. XV. NOV. A. S. R. CIↃ IↃCCXXXVIII.

ALTORFII

TYPIS IOH. GEORGII MEYERI VNIV. TYPOGR.





I.

SENECA, *de Consolat. ad Heluiam matrem.* (a) *Cap. I.*

In morbis nihil est perniciosius, quam immatura medicina.



SI qua est sententia, quae medicinam facientibus salutarem promittit effectum, certe haec est, dum SENECA noster opportunitatem in medendo studiosissime esse obseruandam uerbis cedro dignis indicat. SENECA tunc in Corsicam a Claudio Imperatore relegatus, matrem, isto filii exilio moestam, consolari parabat. Cui moestitiae se non statim, dum ea recens saeuierit, occurrisse ait, ne eandem ipsis solatiis magis irritaret. Rationem huius consilii arcessit ab arte salutari, quae docet, *in morbis quoque nihil esse perniciosius, quam immaturam medicinam.* Qua similitudine in simili argumento etiam usus est PLVTARCHVS, ille uniuersae eruditionis promus condus non immerito a nonnullis appellatus. *De consolatione* enim *ad Apollonium, pag. 101.* haec scribit: Ὀυδὲ γὰρ οἱ βέλτιστοι τῶν ἰατρῶν πρὸς τὰς ἀθρόας τῶν ῥευμάτων ἐπιφορὰς εὐθὺς προσφέρουσι τὰς διὰ τῶν φαρμάκων βοηθείας, ἀλλ' ἐῶσι τὸ βαρῦνον φλεγμονῆς, διὰ τῆς τῶν ἔξωθεν ἐπιχρίστων ἐπιθέσεως αὐτὸ δι αὐτοῦ λαβεῖν πέψιν· h. e. *Peritissimi etiam medici, confertim ingruentibus uitiosorum humorum fluxionibus, non statim medicamenta applicant; sed tumorem inde ortum* patiun-

(a) Haec in quibusdam editionibus dicitur *Albina.*

patiuntur, foris illitis remediis, ipſum ultro concoctione quadam emolliri. *Medicinam* uero hoc SENECAE loco nihil aliud ſignificare, quam *medicamentum*, uel remedium; id ſententiae ratio declarat; quo nomine etiam CICERO (*b*) et OVIDIVS (*c*) aliique, ſaepius *medicamina* uocare ſoliti ſunt: Sic et *immaturum*, perhibente CALEPINO, (*d*) idem interdum eſt, quod *intempeſtiuum*, *inconſideratum*, et *praeceps*. Scilicet, non eousque medicina eſt differenda, (quod nonnulli Stahlianae diſciplinae decretis abuſi putant,) dum ipſa anima ſuccurrat aegrotanti, et quaſi remedium afferat; ſed omni tamen ſtudio opportunum tempus potiſſimum ad ſanandum eſt eligendum, nihilque aegris, niſi iuſto tempore, eſt porrigendum, ſecundum illud Poëtae:

Temporibus medicina ualet; data tempore proſunt,
Et data non apto tempore, uina nocent.

Sed neque neceſſe eſt, ut Medicus adeo ſtudioſe ſecundum TREVVIVM, (*e*) COLLIMITIVM, (*f*) HIEBNERVM, (*g*) et alios innumeros, Aſtrologicas temporum mutationes obſeruet; etſi quaedam ex illis haud plane uilipendendae (*h*). Potius ſibi curae habeat, ut inprimis quatuor anni temporum uices animaduertat; cum experientia, fideliſſima rerum magiſtra, doceat, omnino uarios morbos maiori facilitate ſanari uere, quam hieme. Id quod, praeter HIPPOCRATEM et GALENVM, CELSVS, (*i*) latinorum Hippocrates, dudum praecepit. *Duo*, inquit, *genera curationum ſunt: alia in quibus eligere tempus non licet; ſed utendum eſt eo, quod incidit; ſicut in uulneribus, et fiſtulis. Alia, in quibus nullus dies urget, et expectare tutiſſimum, et facile eſt; ſicut euenit in*

(*b*) Ad Attic. Lib. XVI. (*c*) I. de Pont. Eleg. II. (*d*) Dictionar. undecim linguar. *ſub uoce* immaturum. (*e*) Aſtrolog. medic. (*f*) Artific. de Applicat. Aſtrolog. ad medicin. (*g*) Myſter. Sigillor. herbar. et lapid. (*h*) vide IO. IAC. WALDSCHMIDII Diſſertation. de Medico-Aſtrolog. (*i*) De Medicin. Lib. VII. cap. 7.

in iis, quae tarde increfcunt, et dolore non cruciant. In his uer expectandum eft: at fi quid magis preffit, melior tamen autumnus, quam hiems, uel aeftas eft; atque is ipfe medius, iam fractis aeftibus, et nondum ortis frigoribus. Ita et *matutini*, et *uefpertini temporis* rationem effe habendam in porrigendo cibo, idem auctor *Lib. III. cap. 4.* multis uerbis edocet. Maximam uero attentionem merentur, uulgo dicta *uniuerfalia morborum tempora;* quorum, fecundum ARCHIGENEM (*k*) *duo* faltem, ftatus et declinatio; fecundum fectam uero methodicam, (*l*) et GALENVM (*m*) *quatuor:* principium, incrementum, ftatus et declinatio, numerantur. Aliud namque agendum eft ab initio morbi, aliud in ftatu, aliud in fine. Sic uomitoria, quamdiu materia morbifica, feu peccans, eft in primis uiis, imminentem, aut iam praefentem febrem, aliaque incommoda, non raro cito et feliciter remouerunt, aut faltem fanationem reddiderunt faciliorem. Ita quoque uenaefectio, in principio adminiftrata, faepius pleuritide laborantes, nifi fanauerit, attamen ad feliciorem curationem multum contulit. Aft perquam triftes etiam effectus illi aliquando experti funt, in quibus haec praefidia immaturo tempore fuere adhibita; quos recenfere fuperuacaneum effet; cum PERSIVS (*n*) iam cecinerit:

Helleborum fruftra, cum iam cutis aegra tumebit,
Pofcentes uideas; uenienti occurrite morbo.

Optime igitur illi fibi, aegrotantibusque, confulere folent, qui femper in animo fuo agitant prudentiffimas uirorum in arte falutari uerfatiffimorum regulas, atque praecepta, et, prout circumftantiae admittunt, leniora fortioribus praemittunt remedia; dies, et maxime criticos, obferuant, ne *immatura medicina* falutarem impediant crifin; infimulque ad

 uires

(*k*) GALENVS de Morbor. tempor. cap. II. (*l*) BARCKHVSEN de Origin. et progreff. medicin. Differt. IX. §. 3. (*m*) GALENVS loco cit. (*n*) Satyr. III.

uires reſpiciant; nec moueant, materia quam ſit mobilis; ſtudioſiſſimeque attendant ad id *tempus*, quando ſit mitigandum, roborandum, euacuandum, et quae huius generis ſunt alia. Cuiusmodi ſalutaria monita Parens omnis Medicinae, HIPPOCRATES, paſſim in ſcriptis ſuis fideliſſime annotauit, et poſteritati reliquit. Id quod ex recentioribus, praeter IO. PAVL. GALLVCIVM, (o) Germaniae noſtrae Hippocrates, FRID. HOFFMANNVS (p) in legibus ſuis, tanto legislatore dignis, et praecipue in lege prima, repetiit, et commendauit. *Omnibus*, inquit, *in morbis ordinem et ſucceſſum actuum motuumque ſpontaneorum, immo ipſa tempora, quibus natura ſola medelam in ſalutem aegrotantium molitur, atque abſoluit, curate et perquam ſolicite obſeruare decet.* Explicationi huius legis hunc finem imponit: *Quum praeparationis negotium non niſi certo temporis ſpatio abſolui poſſit, utique maxime omnium tempus expectet, nec curſum praecipitet medicus, neceſſe eſt: quae certe prudens expectatio in Medicina ſummum eſt arcanum.* Qua occaſione uenerabilis ille ſenex, praeter GIDIONIS HARVAEI libellum *de morbis expectatione curandis*, propriam ſuam diſſertationem *de curatione morborum in tempore* non immerito commendat; ſiquidem haec diſputatio ad hanc SENECAE ſententiam ad inſtar commentarii eſſe poteſt. Cui etiam alteram, pari commendatione dignam, ab eodem auctore addo: *de prudenti medicamentorum in tempore applicatione.* (q) Probe igitur ſunt tenenda, quae ſapientiſſimus omnium mortalium, SALOMO, (r) dixit: *Cuique ſua eſt tempeſtas: - - - tempus occidendi; et tempus curandi.*

II. SENE-

(o) De tempor. ad medend. accommodat. (p) Medicin. ration. Syſtem. Tom. III, Sect. II. cap. 2. p. 421. (q) Reſpond. HVSZTI Halae 1695. edit. (r) Eccleſiaſt. cap. III. v. 1. et 3.

II.

SENECA, *Epistol. CXXIV.*

Nullam habet spem salutis aeger, quem ad intemperantiam medicus hortatur.

DAri aliquando aegros, qui, cum summa intemperie partium corporis laborent, nihilominus tamen intemperate uiuant, nulli insolens erit, et inauditum. Quid enim tristius uulgatiusque illo nonnullorum dicterio: **Ich esse / was mir schmeckt; und leide / was ich muß.** Hi uero non raro ipsimet sibi spem salutis praecidere solent, dum, neglecto medici consilio, suis solummodo uoluptatibus indulgent, etsi illis interdum fortuna, licet rarius, faueat, ne intereant. Id quod suo iam aeuo primus Academicae Sectae fundator, PLATO, (s) animaduertit, quem ita latine loquentem fecit SERRANVS: *Dicis*, inquit, *hos perinde uicturos, ac illos, qui, licet aegrotent, nolint tamen, propter intemperantiam, extricare se atque expedire e uitiosa uiuendi ratione. Omnino, inquit. Atqui, inquam, scite quidem illi et dedita opera uidentur caussam quaerere, cur in morbis suis pergant. Dum enim curantur, nihil aliud perficiunt profecto, quam ut et morbos adaugeant, et magis magisque implicent, atque inuoluant: et tamen eam spem retineant, futurum, ut cuiuslibet medicamenti beneficio, sani et incolumes euadant. Omnino huiusmodi affectiones in aegrotos cadunt. Quid uero? nonne illud indecorum est atque importunum, quod ipsis maxime is sit odiosus, qui uera moneat? dum uidelicet dictitat, non potiones, non ustiones, non incisiones, non incantationes, non amuleta, non alias denique res quaspiam, profuturas, priusquam ille desinat,*

et

(s) de Republic, Lib. IV. p. m. 425. Tom. II.

et ebrietati, et gulae, et ueneri, et inertiae, se dare. Verum enim uero, quis est, qui putaret, inter medicos quoque nonnullos reperiri ita peruersos, qui ipsimet aegros ad *intemperantiam* non nunqum adhortentur? cum tamen *intemperantia* fons atque scaturigo plurimorum morborum merito dicatur. Vnde etiam HIPPOCRATES (*t*) id ipsum rationi aduersari docet. *Magis*, inquit, *rationi consentaneum, aegros non posse imperatis obsequi, quam medicos ea, quae, minime conueniunt, imperare.* Satis tamen iustam, proh, habuit caussam SENECA noster, cur fidelissime, et aegros et medicos admoneret, et ab ineptis, quae ad *intemperantiam* spectant, consiliis abstineant, ni omnem salutis recuperandae spem insimul amittere uelint. Sunt nempe, quemadmodum in omni mortalium genere, ita etiam ex medicis nonnulli, quos turpe quaestus faciendi studium aliquando impellit, ut, perhibente GALENO, (*u*) *aegrotantium cupidini promptius obsequantur, quo plus lucri hinc faciant.* Huius farinae medici haud iniuste a magni nominis quondam Viro, GEORG. FRANCO, (*x*) in *monstrosorum* classem referuntur. *Talis*, inquit, *monstrosus medicus est ille, qui praemeditatus, et ex consilio, solerter ac speciose clientes suos circumuenit, turpioris lucelli gratia conscientiam onerat, male consulendo proximi saluti.* Alii ideo obsequuntur desiderio et intemperantiae aegrotantium, ut horum fauorem eo facilius aucupentur. Vnde GALENVS (*y*) iam conquestus est, *esse nonnullos, qui, ubi aegrotare coeperint, medicos sibi accersant, non optimos; sed qui maxime adulari didicerint, qui etiam frigidam daturi sint, si quis postulet: lauaturi, si quis iubeat; et uinum solicitantibus porrecturi, imo seruorum ritu iussis obtemperaturi.* Sed dici non potest, quantum eiusmodi indulgentia, item et intempestiua medici

(*t*) Lib. de Arte, edit. Foesian. p. 4. (*u*) VI. Epidem. com. IV. t. 8. (*x*) Differt. de medic. monstros. Resp. COTTA Heidelberg. 1677. pag. 5. (*y*) Lib. I. de curat. morbor.

medici misericordia, acmulto magis turpis adulatio, noceant hominibus cum aduersa ualetudine confli&tantibus. Grauissime autem omnium huius farinae medici tum peccant, cum sub praetextu felicioris sanationis, grauibus uitiis et peccatis committendis ansam suppeditant; immo et aegros adhortantur. O utinam non inuenirentur eorum exempla, qui aliquando *fornicationem*, et *ebrietatem*, grauissima illa peccatorum genera remediorum loco commendarunt! Haud ita diu uero, studiosus aliunde huc delatus me conuenit, mihique narrauit, se aliquando uehementer uexatum fuisse pollutionibus nocturnis, et a Medico haud uulgari, eapropter petiisse consilium, quomodo ab hoc malo liberari possit? Is haud cunctatus respondit, uix praesentius esse remedium, quam si res habeatur cum femina; hac quidem inepta et impia limitatione, se ei hoc consilium suppeditare, non tanquam morum magistrum, sed ut medicum. Iuuenis uero, cum haud improba mente praeditus esset, hoc responso uelut obstupefactus, maluit eo morbo laborare, quam graue peccatum sciens committere. Sicuti uero mirum est, (si quidem eiusmodi narrationi fides habenda,) inter christianos reperiri tam irreligiosos imprudentesque Medicos, qui non solum eiusmodi consiliis salutarem infament artem, et ipsi suam onerent conscientiam; sed et aliis patentissimum peccandi campum, quantum in se est, aperiant: ita tantum abest, ut detestabile hoc remedii genus reuera prosit, ut multo potius noceat. Cum eius usu, atonia uesicularum seminalium, quae plerumque in caussa huius mali est, magis magisque inducatur, et augeatur; quin immo ad multa alia peiora et periculosiora symptomata uia sternatur. Melius igitur et animae et corpori consulunt, qui ab his auxiliorum generibus calamitosis plane abstinent, et potius eorum sequuntur exempla, quae THEODOR. ZWINGERVS (z) collegit, ac inprimis ex

B POLY-

(z) Theatr. uit. human. Volum. XI. Lib. 3. pag. 2262.

POLYDORI *lib. 1. cap. 3*, propoſuit, ubi relatum legitur de THOMA II, Eboracenſi Epiſcopo, cui aegrotanti medici conſulerent, ut feminae pro remedio miſceretur, et amici idem uehementer urgerent, ipſeque aſſentiri uideretur. Adducta poſt decentis formae femina, idem tamen noluit eam attingere. Ab amicis reprehenſus, reſpondit: *propter ſalutem carnis tandem moriturae, immortale decus pudicitiae non amittam.* Praeterea autem omnino etiam nonnulli ex medicis fuerunt, qui aliquando, uel *largiorem uini potationem*, uel ipſam *ebrietatem*, commendarint, inducti fortaſſis a Medicis Salernitanis, canentibus: (*a*)

Si nocturna tibi noceat potatio uini,
Hoc tu mane bibas iterum, et fuerit medicina.

Quae uero ſententia cum grano ſalis eſt accipienda, ne illud tandem eueniat, quod alicui morioni aulico uenit in mentem, cuius meminit IVL. VVILH. ZINCGREFIVS. (*b*) Sic uero RHASES, AVICENNA, IACOBVS SYLVIVS, ſemel in menſe crapulam ad ſanitatem conferre, docuerunt. (*c*) Nec ualet ingenioſa excuſatio IAC. PRIMEROSII. (*d*) Is enim cum in HIPPOCRATE et PAVLO AEGINETA quaedam loca inueniſſe, ſibi uiſus eſt, ubi hi largiorem uini potationem commendauerint, ad uarios debellandos morbos: *Verum hic temulentiam non commendo*, inquit, *quae ſi ſequatur, id erit per accidens ob uariam naturam ſumentis. Si enim duobus aegris eodem morbo laborantibus amphoram uini Medicus praeſcribit, unus forſan ebrius fiet, alter minime: nam ebrietas ſequitur per accidens ratione Medici: cum inter homines quidam uno aut altero hauſtu inebrientur; alii uero non niſi pluribus repetitis. Ebrietatem igitur Medicus non imperat, quamuis uini liberaliorem potum interdum ſuadeat.* Demum qui non

(*a*) Medicin. Salernitan. Cap. XV. (*b*) in der Teutſchen Apophthegmat. p. 378. (*c*) Vid. PETR. MEXIA in ſylv. uariar. lection. Part. III. cap. 17. (*d*) De errorib. uulgi Lib. III cap. 18.

non animo peccandi, nec uoluptatis, ſed ſanitatis tantum cauſſa, eiusmodi remedio utitur, uix peccatum admiſiſſe uidetur. SENECAE uero noſtri ſententiam illuſtrant et defendunt par illuſtre HOFFMANNIORVM; CASPARVS (e) nimirum, noſtrum quondam decus, et FRIDERICVS f) Hallenſium ornamentum. Hic, *ex omnibus maxime* inquit, *debet Medicus colere temperantiam: ut enim intemperantia medicinae mater fuiſſe dicitur: ita temperantia medicinae filia eſt. Quam qui dextre colit, eum auctoritate aliis perſuadere eandem poteſt.* Alter, ſententia HIPPOCRATIS uſus: *multi corrumpunt corpus ſuum*, inquit, *et quod DEVS dedit aptum, faciunt ineptum, idque labefactant, otio, ſomnolentia, uino, uigiliis, uenere, ac immodica libidine.* Felix igitur is eſt, qui medico temperanti ſe tradit: ille enim non poteſt non etiam omnia, quae ad temperantiam ſpectant, ordinare, ſicque ſalutis ſpem magis confirmare ac corroborare, quam aliis adimere.

III.

SENECA, *Epiſtol. CIV.*

Peregrinatio non facit Medicum.

QVi ſaltem fugitiuo, ut aiunt, oculo hanc intuentur ſententiam, ſane putent, SENECAE cum medicis plane non conuenire: utpote qui peregrinationes non ſolum magnopere commendant, uerum etiam ipſi ut plurimum itinera in longe diſſitas regiones, artis medicae amplificandae gratia, inſtituerunt. Niſi enim peregrinationes facerent, aut certe perficerent, medicum; cur et ueteres, et recentiores medici, ita frequentes ſuſcepiſſent peregrinationes? Quorum inter ueteres praecipue nominandi, HIPPOCRATES, DIOSCORIDES, GALE-

(e) Iſagog. medic. orat. de offic. medic. p. m. 80. (f) Diſſertat. Medicus ſui ipſius, Reſp. GOEZ. Hall. 1704. §. XXV.

GALENVS, PAVLVS AEGINETA, aliique; ex recentioribus, charta et tempus mihi deficerent, si uel plurimos saltem indicare uellem, qui ad alias, et non raro ad permultas orbis terrarum regiones excurrerunt. Vnum saltem ex hoc aeuo nominare sufficiat, Celeberr. ENGELBERT. KAEMPFERVM, qui fere totam, quanta est, Asiam, permigrauit; (g) cui ea propter etiam, et Historici, et Philologi, et inprimis Medici, plurimum debent. Quam egregie etiam iter facientibus medicis prospexerunt Viri clarissimi, BARTHOLINVS, WIGANDVS, HAFFENREFFERVS, GRYLLVS, et alii: utpote qui, editis singularibus operibus satis abunde commonstrarunt, non solum, quod medico itinera maxime sint necessaria; uerum etiam, quo Philiater quisque modo ueram utilitatem ex itineribus capere possit? Et qui uel obiter saltem secum perpendit, quod non quaeuis terra omnes ferat, alatque, artes; et quod HIPPOCRATES medicinam discentibus *locum studiis aptum* (h) inter alia commendet: is experietur, haud facile etiam unicam urbem, immo regionem, sufficere ei, qui Florae deliciis animum oblectaturus, herbarum naturam, cognitionemque, scrutari cupit. Ille enim quam maxime necesse habet, ut ad exteros etiam, eosque uarios, se conuertat hortos et campos. Et, qui remediorum uarietatem atque abundantiam cognoscere auet, uix satiari poterit, nisi ea in magna quantitate ipse contempletur in aliis regionibus, et inprimis apud Belgas, et Britannos, ubi copia et complexus earum rerum inuenitur uberrimus. Sic etiam cultorem artis spagyricae haud poenitebit, ad exemplum nuper defuncti clarissimi et exercitatissimi, CASPAR. NEVMANNI, (i) uariorum Chemicorum officinas, seu *Laboratoria*, perlustrare, in quibus inueniet, furnorum, instrumentorum, aliorumque

(g) Vid. Praefat. Amoenitat. exoticar. *ab eo edit.* (h) Vid. Hippocrat. in lege.
(i) Vid. eius Lection. chymic. de salib. alkalin. fix. et Camphor. *in fine.*

que uaſorum, inſignem copiam et uarietatem, quibus artifex eo commodius operationes ſuas perficere atque abſoluere poſſit: inter quae ſane praecipue admiratus ſum *Laboratorium* Aeſculapii Belgici, HERMAN. BOERHAAVII, qui nunc demum, proh dolor, in magnum orbis litterati detrimentum, e uiuis diſceſſit. Quid dicam de illis, qui anatomes ſtudium excolunt, quibus inprimis Gallia, foecundiſſima artium mater, fauet, et largiſſimam in ſecandis cadaueribus humanis ſeſe exercendi occaſionem offert. Taceo illud omni admiratione maius DE NOÜES inuentum artificium, ſtatuarum nimirum ex cera confectarum, et naturae ſimillimarum, quae Lutetiae aſſeruantur, ſpectatu omnino digniſſimae; cum non ſolum cum praeparatis naturalibus Ruyſchianis omnino conueniant; ſed ita inſtructae apparataeque ſint, ut etiam Medici et Anatomici exercitatiſſimi oculatiſſimique, u. gr. GALERATVS, BACHOQVIVS, et SYLVESTER, uelut uiſu decepti, pro naturalibus eas habuerint; quarum prolixiorem deſcriptionem, una cum commendatione peregrinationis ad Gallos exhibet Doctiſſimus DANIEL HOFFMANNVS. (*k*) Porro inter peregrinandum obſeruantur, uariorum populorum diuerſae conſuetudines, uictus rationes, mutationes coeli, tempeſtatum, et aeris, ac quae ſunt alia innumera, medico, ut experiatur, perſcruteturque, neceſſaria. Ex omnibus autem, et quod primo loco ponendum fuiſſet, conuerſatio cum uariis in arte ſalutari uerſatiſſimis Viris, ad iter faciendum Philiatros allicere poterit, ex quorum ſermonibus et colloquiis nemo non plurimam ſibi polliceri poteſt utilitatem. Quibus addo aliquando etiam e re medici peregrinantis fore, ſi is familiares quoque ſibi reddat pharmacopoeos, ut permittant intrare ipſorum officinas, in quibus non ſolum interdum ra-

 riora,

(*k*) Vid. eius Diſſertat. epiſtol. de utilitat. peregrinat. Gallican.

riora, quae ipsi asseruant, cerni; uerum etiam formulae uariorum medicorum lustrari, possunt. Expertus loquor, siquidem etiam post obitum adhuc publice praedico, insignem fauorem IO. FRID. GVNTHERI DE STERNEGG, Sacrae Caesareae Maiestatis Personae Pharmacopoei, et ALBERTI SEBAE, Pharmacopoei apud Amstelodamenses famigeratissimi, amicitiam mihi semper gratissimam utilissimamque. Quod denique medico peregrinationes utilitatem afferant, id sane docent sapientissimae PERILLVSTR. REIPVBL. NORIMBERGENSIS leges, secundum quas, laudabilissimo instituto, ad inclutum, quod Norimbergae floret, MEDICORVM COLLEGIVM, nemini facile conceditur aditus, nisi qui, Laribus patriis relictis, ad amplificandum Machaonis studium, alias etiam regiones extra Germaniae limites, perlustrauit. Immo PETRVS CASTELLVS: (l) *ut ultimum*, inquit, *perfectionis gradum assequatur Medicus, in diuersas regiones peregrinari debet. Nihil igitur faciendi sunt ii, qui domo nunquam exierunt, plurimi autem, qui multas regiones perscrutati sunt, uariarumque Nationum dogmata, mores, instituta, morbos, et remedia considerarunt, didicerunt, aestimandi sunt.* Omnia autem, quae hactenus disserui, non obstant, quo minus tamen SENECAE sententia certissima nitatur ueritate. Absit enim, SENECAM docuisse, medico haud prodesse peregrinationes; quas potius in hac *epistola* ipse commendat: nec de Philosopho tam sapiente uix cogitari potest, eum id contemnere posse, quod euidentissimum exerit usum. Non enim SENECA simpliciter dixit, peregrinationem nihil conferre ad culturam artis salutaris, sed tantummodo eam non *per se facere medicum. Quid,* inquit, *per se prodesse peregrinatio cui-*

(l) Tr. de Optim. medic. Praefat.

cuiquam potuit? Non uoluptates illa refrenauit, non iras repressit. etc. Quamdiu quidem nescieris, quid fugiendum, quid petendum, quid necessarium, quid superuacuum, quid iustum, quid honestum sit; non erit hoc peregrinari, sed errare. Nullam ibi opem feret iste discursus. Loquitur adeo SENECA, de eorum peregrinatione, qui nullis prorsus scientiae et uirtutis praesidiis, nullisque consiliis, instructi; sed tandum ex consuetudine, et exemplo aliorum, aut inconsulto animi impetu, in terras peregrinas abeunt. Quis enim nescit, non ab omnibus ita, ut fieri debeat, itinera institui; sed aliquando magis ex curiositate, quam utilitatis studio, suscipi. Quo merito referenda est ἀποδημιομανία, quem morbum OVIDO PATINVS, (m) nescio quo iure Germanis esse proprium perhibet. Qui parum curant, ut studia artis salutaris amplificare uelint, modo reuersi possint enarrare, quam splendida uiderint Palatia; in quibus hospitiis optimus uictus; et ubi uaria oblectationum inueniantur genera. De huius generis peregrinantibus merito ualet sententia SENECAE; qui simul et id innuit, *non solam peregrinationem facere medicum.* Nam, secundum HIPPOCRATEM, l. c. non solum *locus aptus;* sed etiam *doctrina et institutio a puero*, requiritur. Immo, nisi medicinae cultor iam, in arte sua, bona posuerit fundamenta, uix tantam ex itineribus capiet utilitatem, quantam expectare poterat, si iam non nullos fecerit in hac arte profectus.

(m) Lettre XLVI.

IV. SENE-

IV.

SENECA, *Lib. VII, de benefic. cap. 13.*

Si omnia fecit, ut sanaret, peregit medicus partes suas.

AD antiquissima si excurrimus tempora, nunquam non fuisse comperimus hominum quoddam genus, quod nescio, qua petulantia, aut impudentia, impulsum, honestissimam artem, maximeque mortalibus salutarem, Medicinam nempe, eiusque cultores, perstringere, uariisque contumeliis afficere, studuit. PLATONEM iam et PLINIVM huc pertinere, GEORG. KIRSTENIVS, (n) in peculiari oratione, in eiusmodi contemtores dicta, ostendit. Quid dicam de tot aliis, qui recentiore aetate in medicinam, medicosque, temere inuehi ausi sunt. Quis enim est, qui ignoret, petulantem linguam, calamumque, illius omnium professionum Momi, CORNELII nimirum AGRIPPAE, et famosissimi Gallorum Comici, MOLIERE? ut taceam multo plures, qui ad hanc classem sunt referendi: quibus uero identidem praestantissimi uiri se fortiter opposuerunt. Et sane uix tam arroganter redarguit artem medicam FERDINANDVS NONIVS, Hispanus; quam grauiter prudenterque ei respondit RODERICVS A CASTRO, Lusitanus, ac tandem Medicus Hamburgensis. (o) Neque uero alia ex caussa istiusmodi homines ad perstringendam medicinam aggressi sunt; quam quod uel non intellexerunt, uel intelligere noluerunt, quid medicus efficere possit, et in quo eius consistat officium. Non pauci enim sibi persuasum habuerunt, eum haud esse uerum medicum, qui non omnibus morbo laborantibus amissam restituere ua-

leat.

(n) GOTTL. STOLL Anleit. zur Histor. der Medicin. Gelahr. cap. 1. §. 5.
(o) Anonym. Medic. afflict. cap. 1.

leat ſanitatem: qui illud OVIDII, (*p*) minus ad animum reuocarunt:

Non eſt in medico, ſemper releuetur ut aeger,
Interdum docta plus ualet arte malum.

SENECA uero noſter meliori iudicio hac in re uſus, egregie monſtrauit, in quo potiſſimum medici officium conſiſtat. Nimirum ut *omnia tantum faciat, ad ſanitatem amiſſam inſtaurandam, quamuis finem ſuum non ſemper aſſequatur.* Potius alibi: (*q*) *non ideo*, inquit, *nihil ſanat medicina, quia non omnia.* Idem quoque perhibet ſummus Romanorum Orator et Philoſophus CICERO: (*r*) *aegri*, inquit, *quia non omnes conualeſcunt, non idcirco nulla eſt medicina?* Fieri enim nullo modo poteſt, ut omnes reſtituantur aegrotantes. Praeualet enim non raro medicaminibus morbus. Quod ſi igitur in alicuius morbi ſanatione medicus omnes intendit uires neruosque, ut ſecundum artis praecepta aegrotanti ſubueniat, tunc *peregit partes ſuas.* Id quod fit, ſi quando medicus ex certis ſignis diagnoſticis, aliisque indiciis, cognitum ſibi reddat morbum; deinde cauſſas tam procatarcticas et antecedentes, quam proximam diligenter exploret; tunc ſecundum eas, prudentes aptasque ſibi formet indicationes; denique tuta et idonea afferat indicata, ex chirurgico, pharmaceutico, et diaetetico fonte. Interea quoque ſignorum prognoſticorum, ſymptomatumque rationem habeat, et, quantum fieri poteſt, *cito, caute*, atque *iucunde*, curet. Haec ſunt, quae ad uerum medicum pertinent. Quod ſi uero, his omnibus adhibitis medendi rationibus, tamen aeger moriatur; non medico, ſed morbo graui et inſanabili, culpa eſt adſcribenda. Quod HIPPOCRATES (*s*) iam agnouit.

 In

(*p*) Lib. I. de Ponto, Eleg. 3. (*q*) Epiſt. XCV, ad Lucil. (*r*) Lib. II. de natur. Deor. (*s*) Lib. de Arte.

In singulis, inquit, *si res medico non succedat pro animi sententia, in morbi uehementiam, non in artem ipsam, culpa reiicienda est.* Et alio loco: (*t*) *Quodsi, cum probe curet medicus, morbi magnitudine superetur aeger, haec medici culpa non est. Si uero, cum recte non curet, neque morbum cognoscat, a morbo superetur aeger; medici culpa est.* Cui etiam inter recentiores accedit summus fere in praeterito seculo Germaniae Medicus, DAN. SENNERTVS, (*u*) utpote qui, iisdem quasi, quibus SENECA, usus uerbis, eandem sententiam confirmat: *quod si uehementia morbi*, inquit, *aeger occubuerit, medicus nihilominus, et suum officium, et quod artis est, fecit.* Ex his satis clare apparet, medicum, etiamsi interdum moriatur aeger, tamen esse posse *inculpatum.* (*x*) Omnino autem hic de uero et in arte uersato medico sermo est, qualem etiam PETR. CASTELLVS (*y*) depinxit. Obsignamus itaque hanc thesin piis hisce ELIAE RVDOLPH. CAMERARII, uerbis: (*z*) *Non ad euitandam mortem data est ars medica; Dei benedicens dextra requiritur ad ea, quae Medicus tanquam minister suadet. Hanc saepe Deus subtrahit, uel ob Medicum, uel ob aegrum, uel ob utrumque; uel ob alios. In tali tamen casu, ceu in omni aduersitate, quo diutius perdurat, christianus, precibus ad beneficum Numen deuotis, magis magisque continuare debet: ita remediorum usu pergitur, iteratis simul ad summum Archiatrum pro felici euentu precibus; ipsius benignissimae uoluntati committitur, resignatur effectus et euentus.*

(*t*) Lib. de Affection. (*u*) Institut. medicin. Lib. V. P. II. cap. 4. (*x*) ANDR. RIVINI Differtat. medicar. I. de Medico inculpato. (*y*) in Tract. Optim. Medic. §. 9. p. m. 43. (*z*) vid. eius Differtat. in qua obex curation. morbor. Respond. IOH. GEORG. GLOCKEN, Tubing. 1691.

Dum

DVm, ZELTNERE, cupis cultae dare pignora mentis,
Defendis SENECAM: dignus honore labor!

Pereximio et Doctissimo
DOMINO RESPONDENTI,
de edito eruditionis specimine lubens meritoque gratulatur
PRAESES.

COnscendit doctus cathedram ZELTNERVS *Hygeae;*
Hinc uoueo atque precor: Hoc bene cedat opus!

Ita Praenobilissimo nec non Doctissimo
DOMINO ZELTNERO
ex sincero cordis affectu applaudere uoluit
I. F. FLEISCHMANNVS,
Altorf. Med. Stud. Opp.

FErt, ZELTNERE, TIBI laudem, coluisse Camenas:
Quod quis, quaeso, neget, teste TVO Seneca?

Haec paucula,
animo tamen sincero,
Conterraneo et amico suo fraterne dilecto adiicere uoluit
ANDREAS IACOBVS KIRSTEN,
Altdorf. Med. Stud. Opp.

Felix

Felix connubium Meditrinae almaeque Minervae
In SENECA *Medico*, ZELTNER amande', *doces.*
Ast simul ostendis, ualeas quid in arte medendi,
Impiger atque TVVS *praestet*, AMICE, *labor.*
Laudo bonos ausus: Numen TVA *coepta secundet,*
Quo studiis detur laeta corona TVIS.

Praenobilissimo atque Eruditissimo DN. RESPONDENTI, Amico suo aestumatissimo de hoc edito eruditionis Specimine ex animo gratulatur

GEORGIVS FERDINANDVS MVLLER,
Med: et Philos. Cultor. Altdorf.
Opponens.

